

Utrum futurum contingens revelatum. Fore possit nunquam revelatum fuisse, videtur quod non, omnis propositio de preterito vera est necessaria, et eius opposita est impossibilis. Igitur et futurum revelatum non potest fuisse revelatum. Patet consequentia, quia facta revelatione de a futuro contingenti, ista est vera a fore fuit revelatum est necessaria, igitur non potest esse falsa et per consequens est impossibile est a non fuisse revelatum.

Ad oppositum, arguitur sic: futurum contingens revelatum fore potest non evenire, igitur potest nunquam revelatum fuisse. Pateu consequentia, quia si non eveniret stante revelatione, revelatio esset falsa, et tunc Deus decuperetur vel deciperet, quorumlibet est falsum. Et antecedens patet, quia de facto postquam Deus revelavit Ione submersionem Ninive, potest illa submersio non evenire, immo de facto non evenit, quia Deus misertus [88vb] est eis, nouvo testamento habetur Ione, 3.

Respondeo ponendo tres conclusiones.

Prima conclusio: quod futurum a Deo immediate revelatum fore, potest mom evenire.

Probatu tripliciter.

Primo sic: aliquod futurum contingens potest non evenire. Igitur futurum a Deo immediate revelatum fore potest non evenire. Antecedens patet, quia aliter non esset futurum contingens sed necessarium. Et consequentia nota, quia aliquod futurum contingens fuit in verbo revelatum Gabrieli, ut puta Christi incarnationem quando venit ad annunciandum gloriosam virginem, tunc sic aliquod futurum contingens revelatum potest non evenire. Igitur et quodlibet contingens revelatum. Consequentia nota, quia non magis necessitatur Deus ad productionem unius quam alterius.

Secundo sic: nisi futurum contingens revelatum posset non evenire, omnia futura contingentia evenirent de necessitate. Consequens falsum, quia tunc periret omnis laudatio et vituperatio punitio et premiatio consiliatio et exortatio meritum et demeritum. Sed patet consequentia, quia omnia futura contingentia alicui creature sunt immediate in ipso verbi revelata, scilicet anime Christi, quia secundum Magistrum, libro 3, distinctione 14, anima Christi omnia scivit que verbum, sed non nisi per revelationem factam a verbo.

Tertio sic: si futurum contingens revelatum fore non posset non evenire, tunc Deus necessitaretur ad aliquid extra producendum. Consequens falsum, quia non potest necessitari a se, nec a creatura, quia tunc non esset omnipotens. Et patet consequentia, quia si futurum contingens postquam est revelatum alicui in verbo non posset non evenire, et cum non possit evenire, nisi Deus ipsum producat, sequitur quod Deus non posset ipsum non producere.

Contra conclusionem arguitur tripliciter.

Primo sic: pono quod alicui anime breathe in verbo revelatur unum futurum contingens, quod sit a, tunc arguo sic: hec anima vidit a in verbo, igitur a erit. Ista consequentia fuit bona et necessaria in totot tempore medio inter revelationem et adventum ipsius a. Et antecedens tunc fuit necessarium, igitur et consequens, igitur non potuit non evenire. Sed quod antecedens tunc fuerit necessarium patet, quia ista propositio cum fuerit de preterito fuit tunc necessaria. Ista anima habuit visionem in verbo [89ra] et non nisi respectu a. Igitur hec fuit neccessaria, hec anima vidit a in verbo. Fuit igitur antecedens illud neccessarium. Igitur et consequens cum consequentia fuerunt bona.

Secundo sic: si conclusio sit vera, sequitur quod beatus non possit esse certus de eternitate sue beatitudinis. Consequens falsum et contra Augustinum, 3 De trinitate, capitulo 7, ubi post multas conditiones de beatitudine enumeratas dicit quod omnino beatissimam est fore

certum quod sic erit semper. Se consequentia patet, quia si essent de hoc certi hoc solum esset per revelationem eis factam in verbo, sed per talem revelationem non potest quis certificari de aliquo, cum tale revelatum possit non evenire, quia secundum Anselmum, De casu diaboli, capitulo 21, illud quod potest non esse, non potest quis certa ratione cognoscere. Per hoc enim probat quod diabolus non potest prescire casum suum, quia talis poterat non evenire.

Tertio sic: si sic sequitur quod clara visio in verbo posset esse erronea. Consequens falsum et contra Augustinum, 5 De civitate Dei, capitulo 2, dicentem quod beatus nec errore falli potest nec Deus aliquem fallere potest, quia si talis visio in verbo posset esse erronea. Tunc Deus non esse veritas. Sed patet consequentia, quia secundum illa visionem beatus iudicat illa futura fore, et firmiter adheret, quod talia erunt, et postea non potest esse quando illud iudicium et illa adhesio fuerit. Igitur si non eveniat sicut iudicatum est, istud iudicium fuit erroneum, et si tale iudicium fuit erroneum, igitur talis visio cuius virtute sic bat fuit erronea.

Respondeo.

Ad primum, admitto casum et quando arguitur quod in tempore medio ista fuit bona consequentia. Hec anima vidit a in verbo, igitur a erit et antecedens fuit necessarium. Igitur et consequens, dico quod in tempore medio illud antecedens fuit contingens et non necessarium. Et quando probatur, quia hec fuit necessaria hec anima habuit visionem in verbo concedo, sed dico quod hec non fuit necessaria, hec anima habuit visionem de a in verbo, et ideo esto quod sit necessarium, ipsam habuisse visionem de a, quia sicut verbum prescit contingenter ipsum a, sic quod potest nunquam prescivisse, sic contingenter representat ipsam a et potest ipsum nunquam representasse potest. Igitur anima habere visionem et non ipsius a.

Ad secundum, dico primo quod beatus est certus quod eternaliter erit beatus. Dico secundo quod beatus est certus quod potest non eternaliter beatus, quia est certus quod Deus [89rb] ipsum potest annihilare et prima certitudo que est adhesionis suscit ad beatitudinem. Et tunc dico ad Anselmum, quod loquitur de certitudine que excludit oppositum de in esse et de possibile, qua quis sic est certus de una re quod scit oppositum non esse nec posse esse. Istomodo summus certi quod Deus est, sed non loquitur de certitudine que excludit silum oppositum de in esse.

Ad tertium, nego consequentiam. Ad probationem, dico quod possibile est iudicium illud quo beatus indicat a fore fuisse erroneum, et possibile est illud iudicium non fuisse ex visione verbi, quia possibile est quod verbum nunquam revelaverit illi a fore, et sic non sequitur quod si tale iudicium sit erroneum, quod etiam talis visio verbi sit erronea. Et si dicas, igitur, ex hoc habeo quod talis beatus poterit errare, contra Augustinum, ut allegatum est in isto argumento, dico quod verum est in sensu diviso, sed non composito, vel quod est possibile de errore non culpabili, licet non de errore culpabili. Et cum hoc quod potest sic errare stat quod facto nunquam errabit.

Secunda conclusio est quod futurum contingens a Deo revelatum immediate potest non evenire et voco revelationem immediatam que fit in verbo sine aliquo medio extrinseco et revelationem mediatam que sit mediante aliquo verbo vel signo extrinseco.

Probatur tripliciter.

Primo sic: quando Petrus Christum negavit potuit ipsum non negare, igitur. Consequentia nota, quia hoc fuerat sibi revelatum mediante verbo Christi extrinseco. Sed antecedens patet, quia aliter non peccasset.

Secundo sic: revelatio futura contingenter facta per verbum increatum immediate non necessitat revelatum evenire, igitur nec revelatio facta mediate. Consequentia nota, quia revelatio facta per aliquod signum creatum non est maioris efficacitae quam facta immediate per ipsum verbum eterno. Et antecedens est prima conclusio.

Tertio sic: si conclusio non sit vera, sequitur quod iudei non potuerunt Christum non crucifigere. Consequens falsum, quia tunc non peccasset, quia nullus peccat in eo quod vitare non potest. Sed patet consequentia, quoniam quod ipsum crucifigerent fuerat multociens ante per verba et scripturam prophetam revelatum, ut quid etiam si conclusio non sit vera procul [89va] rasset Christus iudam revocare a sua malicia postquam eius peccatum revelaverat, ut dicunt evangeliste.

Contra conclusionem arguitur.

Primo sic: si conclusio sit vera, sequitur quod aliqua prophetia possit esse falsa. Consequens falsum ut patet per definitionem prophetia datam a Casiodoro in prologo Psalterii, dicendo profetia est divina inspiratio rerum eventus in mobili veritate denunciatis. Et patet consequentia, quia multa contingentia futura faciunt a Deo per ora et scripta prophetarum modo prophetie revelata.

Secundo sic: si sic igitur christus potuit mentiri et peccare manente unitate eius anime ad verbum. Consequens falsum, contra Magistrum, libro 3, distinctione 12. Patet consequentia, quia si postquam Christus dixit Petro ter me negabis, hoc dictum potuerit non evenire, sequitur quod Christus potuit mentiri, quia sicut sequeretur post factam revelationem Petro ab ipso Christo Petrus non negavit Christum. Igitur Christum dixit mendacium, sic sequitur Petrus potuit non negare Christum. Igitur Christus potuit dixisse mendacium, quia si ad aliquod antecedens de in esse, sequitur aliquod consequens de in esse, sic in eisdem terminis ad antecedens de possibili, sequitur consequens de possibili.

Tertio sic: si conclusio sit vera, sequitur quod non plus esse credendum Deo revelanti, quam cuicumque alteri homini. Consequens est falsum, quia quilibet alteri homo potest mentiri et falsum promittere et non Deus. Sed patet consequentia, quia facta tali revelatio ne maneret ita revelatio contingens ad utrumlibet sicut prius postquam potest non evenire, quod fuit revelatum et confirmatum, quia tunc posset homines decipere.

Respondeo.

Ad primum, nego quod prophetia possit esse falsa. Ad probationem, quia multa futura contingentia fuerunt prophetata. Dico quod licet sit impossibile, quod aliquid sit ex divina revelationem prophetatum, et non eveniat in sensu composito, tamen est impossibile in sensu diviso, quia quodlibet futurum contingens prophetatum fore ex divina revelatione potest nunquam fuisse prophetatum, ut statim dicitur in tertia conclusionem.

Ad secundum, nego consequentiam. Ad probationem, dico quod non sequitur potuit aliter evenire quam Christus dixit, igitur, potuit mentiri, quia mentiri, ut dicit Magister, libro 3, distinctione 39, est [89rb] contra mentem ire quod peccatum est Christus autem in illis verbis quando dixit Petro ter me negabis, non dixit contra mentem, quia in verbo videbat de in esse, sic esse futurum et de possibiliter poterat esse futurum. Et si dicas ad minus, habetur quod Christus potuit dicere falsum, quia si Petrus, cum non negasset, ipse dixisset falsum, et per consequens peccasset. Dico quod posito quod Christus dixisset falsum non peccasset, quia non dixisset contra mentem, nec cum intentione fallendi, et si dicatur ergo ad minus potuit errare, quia potuit aliter evenire quam credebatur evenire, igitur potest errare, quia hoc etiam ipse

presciebatur quod aliter poterat evenire, licet aliter non eveniret. Dico etiam si quis vellet concedere quod Christus in quantum homo potuit errare vel falsum dicere, haberet tamen dicere quod non errare culpabili nec falsum dicere culpabiliter, nec hoc est contra Magistrum.

Ad tertium, nego consequentiam. Ratio est quia quantumcumque cum revelatione Dei stet quod oppositum sit possibile, sicut cum revelatione hominis non, tamen tamen simul quod Deus dixerit aliquid revelando et non erit ita, sicut stat simul quod homo dicat aliquid et non erit ita, ideo magis credendum est revelatione Dei quam verbis hominis.

Ad confirmationem, dico quod non sequitur quod Deus possit homines decipere, quia decipere aliquem est ipsum mala intentione. Inducere ad assentiendum alicui falso, quod Deus non valet facere, quia illud posset esse posse deficere quod Deus non potest.

Tertia conclusio est quod futurum contingens revelatum fore potest nunquam revelatum fuisse.

Probatur tripliciter.

Primo sic: futurum contingens a Deo prescitur potest, nunquam fuisse prescitur, igitur et revelatum potest nunquam fuisse revelatum. Patet antecedens per Magistrum, distinctione 40, primi in fine illius capituli, quibus respondemus. Sed patet consequentia, quia omne prescitur a Deo est anime Christi revelatum, quia novit omnia que verbum libro 3, distinctione 14. Hoc igitur potest non esse prescitur, potest et non fuisse revelatum, quia aliter falsum fuisset revelatum.

Secundo sic: futurum contingens revelatum potest non evenire, igitur et nunquam fuisse revelatum. Consequentia patet, quia aliter Dei revelatio esset falsa, quia non eveniret, ut revelasset stante revelatione, quod est falsum. Sed patet [90ra] antecedens ex duabus primis conclusionibus.

Tertio sic: Deus non potest necessitari ad producendum aliquid in esse, igitur futurum contingens revelatum potest nunquam fuisse revelatum. Patet antecedens, quia omnipotens cogit non potest. Patet consequentia, quia si revelatum fuisse, necessario est revelatum, sic quod non potest non fuisse revelatum, vel revelatio Dei erit falsa et deceptoria quod est impossibile, vel necessitabitur ad ponendum in esse illud quod revelatum fuit.

Contra conclusionem arguitur tripliciter.

Primo sic: contradictionem implicat preteritum non fuisse preteritum, igitur et revelatum non fuisse revelatum. Patet consequentia, quia revelatum esse est preteritum, tunc sic contradictionem implicat revelatum non fuisse revelatum. Igitur revelatum non potest non fuisse revelatum.

Secundo sic: si conclusio sit vera, sequitur quod Deus potest esse deceptor. Consequens falsum. Patet consequentia, quia postquam facta est revelatio alicui a Deo de aliquo futuro, et ille assentit vel credit ita fore, cum ex tunc non possit non ita credisse si ita non eveniat sicut credit deceptor fuit et non nisi a Deo, quia tale sibi esse futurum revelavit.

Tertio sic: Deus ab eterno non scivit aliquid futurum contingens revelatum, nunquam non fuisse vel non fore revelatum, igitur. Patet consequentia, quia non potest aliquid evenire quando Deus ab eterno cognoverit et presciverit illud evenire, si autem aliquid futurum revelatum potest nunquam revelatum fuisse, et cum hoc Deus non presciverit ab eterno, sequitur quod aliter posset evenire, et a Deo ab eterno non prescitur. Sed patet antecedens, quia Deus nunquam prescivit revelatum, nunquam fuisse revelatum, cum non revelet nisi secundum quod evenire debet.

Respondeo.

Ad primum, dico quod licet forte preteritum quod nullomodo pendet ex futuro non possit non esse preteritum, hoc est quia propositio significans tale preteritu esse preteritum, non possit non esse vera, ut ista Deus creavit mundum. Tamen propositio de preterito includens aliquam veritatem de futuro virtualiter potest non esse vera, sicut superius dicebatur de ista, Deus prescivit a fore potest nunquam prescivisse, cum illa includat istam a erit, que est de futuro, et potest non esse vera, et sic dico in proposito, quia ista a fuit revelatum a Deo includit istam de futuro a erit, ideo nunquam ex toto transit in preteritum, nisi a ponatur in esse. Vel dico secundo quod revelatio secundum illud quod dicit in recto non [90rb] est aliud quam Deum revelans qui non cedit in preteritum. Dico etiam quod dei revelatio cuiuscunque futuri contingentis est contingenter eius revelatio, et potest nunquam fuisse eius revelatio, ut etiam dicitur de prescientia.

Ad secundum, nego consequentiam. Ad probationem, dico quod postquam ille assensit nec potest non assensisse et credisse sic fore, tamen potest esse quod nunquam assenserit ex Dei revelatione. Nec sequitur ex hoc quod sit decepto, quia non potest inducere aliquem ad assentiendum alicui falso malo animo.

Ad tertium, nego cosequentiam, quia multa possunt evenire que Deus non prescivit ab eterno ventura licet presciverit illa posse evenire, que tamen si evenirent a Deo fuissent prescita, quia multa se novit posse facere que non prescivit se factum, que tamen si faceret prenovisset, et ideo ad illud est dicendum secundum sensum compositionis et divisionis etc.

Ad argumentum in principio quaestionis factum, patet quid dicendum per solutionem primi argumenti contra tertia conclusionem, distinctio 42.